Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36449
Copyright: Melk, Benediktinerstift

comune construxisset, iussit fratribus in eiusdem
habitaculi pavimento foveam facere. Erat
autem tellus durissima et saxosa, cui nulla
omnino spes vene fontane videretur inesse.
Quod cum fecerent, ad fidem et preces
famuli dei alio die aqua plena inventa
est, que usque ad hanc diem sufficientem cunc-
tis illo advenientibus gratie sue celestis co-
piam ministrat. Sed et ferramenta sibi
ruralia cum frumento afferri rogavit.
Quod dum preparata terra tempore congruo
seminasset, nil omnino non dico spicarum,
sed ne herbe quidem ex eo germinari
usque ad estatis etiam tempora contigit. Unde
visitantibus se ex more fratribus ordeum
iussit afferri, si forte vel natura soli illius
vel voluntas esset superni largitoris, ut
illius frugis sibi pocius seges oriretur.
Quod dum sibi allatum ultra omne tempus
serendi, ultra omnem spem fructifican-
di in eodem agro sereret, mox copiosa
seges exorta desideratam proprii laboris
viro dei refeccionem prebebat. Sequitur
Cum ergo ibidem multis annis deo
solitarius serviret, tanta autem erat altitu-
do aggeris quo mansio eius erat val-
lata, ut celum tantum ex ea cui introitum
siciebat aspicere posset, contigit ut con-
gregata synodo non parva sub presencia
regis Ergfridi iuxta fluvium Elne in loco
qui dicitur Adtwyfirdi, quod significat ad du-
plex vadum, cui beate memorie The-
odorus archiepiscopus presidebat, unanimo
omnium consensu ad episcopatum ecclesie Lyndis-
farnensis eligeretur. Qui cum multis lega-
tariis ac literis ad se premissis nequaquam
a suo monasterio posset erui, tandem rex
ipse prefatus una cum sanctissimo antistite
Triumwine nec non et aliis religiosis ac
potentibus viris in insulam navigavit.

convenerunt, et de ipsa insula Lyndis-
farnensi in hoc ipsum multi de fratribus
genua flectunt, omnes adiurant per domi-
num, lacrimas fundunt, obsecrant, donec ipsum
quoque lacrimis plenum dulcibus extrahunt
latebris atque ad synodum pertrahunt.
Quo dum pervenisset, quamvis multum renitens
unanimi cunctorum voluntate superatur,
atque ad suscipiendum episcopatus officium collum
submittere compellitur, eo maxime victus ser-
mone, quia famulus domini Boysil, cum
ei mente prophetica cuncta que ei essent
superventura patefaceret, antistitem quoque
eum futurum predixerat. Nec tamen statim ordi-
nacio decreta facta est, sed peracta hie-
me que imminebat, in ipsa sollempnitate
paschali completa est Eboraci, sub pre-
sencia prefati regis Ergfridi, convenientibus
ad consecracionem eius vii episcopis, in quibus
beate memorie Theodorus primatum tene-
bat. Electus est primo autem in episcopatum Hagu-
staldensis ecclesie pro Trumberchto qui ab
episcopatu fuerat depositus. Sed quoniam ipse
plus in Lyndisfarnensi ecclesia, in qua con-
versatus fuerat, diligeret preffici, placuit
ut Eata reverso ad sedem ecclesie Hagu-
staldensis, cui regende primo fuerat
ordinatus, Cudbercht ecclesie Lyndisfar-
nensis gubernacula susciperet. Qui sus-
ceptum episcopatus gradum ad imitacionem
beatorum apostolorum virtutum ornabat operibus.
Commissam namque sibi plebem et oraci-
onibus protegebat assiduis, et admo-
nicionibus saluberrimis ad celestia
vocabat. Et quod maxime doctores
iuvare solet, ea que agenda docebat
ipse plus agendo premonstrabat. Erat
quippe ante omnia divine karitatis ig-
ne fervidus, paciencie virtutum modestus,
oracionum devocione sollertissime intentus,